

visione, qua prius eam videbat; sed falsum supponit Suarez, quod illa eadem visio repræsentaret indivisibiliter, tam essentiam, quam relationes, & attributa, siquidem juxta hunc dicendum modum solam essentiam repræsentabat, cæteræ verò perfectiones singulæ peculiaribus actibus repræsentantur; & sic etiam falsum est, quod dederat Averſam, illam visionem ex hypothesi debere esse de diversitate rationis ab ea, quæ nunc est, & intrinsecè talis sit, ut ex vi sua repræsentet omnia, quæ sunt formaliter in Deo; etenim juxta hunc dicendum modum solam essentiam repræsentaret, & cæteræ perfectiones distinctis visionibus attinguntur; & hæc præcise ratione illa differret essentialiter ab illis, quod illa esset præcisè determinatæ ad obiectum primum, aliæ verò ad hoc, vel illud obiectum secundarium; Neque hic dicendi modus est alienus à mente Doctoris, nam 3. d. 14. q. 2. M. inquit, in anima Christi posse respectu cuiusvis obiecti secundarij poni propriam visionem, ita ut in ea sint simul totæ visiones receptæ, quod sunt obiecta secundaria visa; sed licet iste modus sit possibilis, non tamen secundum consuetudinem nostram instituitur, quia tunc non diceretur Beatus videre illa obiecta secundaria visione beatifica, sed visionibus ab ea realiter distinctis.

Itaque sistendo in opinione communi, quod Beatus de facto videt essentiam, & quæcumque sunt in ea ex natura rei formaliter per eandem numero visionem, ad instantiam Averſe conceditur assumptum, quod non potest idem actus visionis sine variatione in se repræsentare plura, vel pauciora in Deo, sed negatur, variationem hanc esse debere totius actus ad probationem concedo, actum eundem non posse modo plura, modo pauciora repræsentare ob augmentum, vel diminutionem eius in latitudine intensiva, ita ut visio remissa ut quatuor v.g. sufficiat ad videndum essentiam præcisè, non personas, vel attributa, additò verò uno gradu, vel duobus sufficiat etiam ad ea videnda, tunc quia gradus illi sunt homogenei, & omnes eiusdem rationis in ordine ad obiectum, & solum conferunt ad maiorem, vel minorem claritatem visionis circa idem obiectum, non autem, ut extendatur ad plura, vel pauciora obiecta; tunc quia maior, vel minor intensio actus non pertinet ad perfectionem repræsentativam ipsius, ut sic, quasi quod eam auget, vel minuit in ordine ad diversa obiecta, sed solum ad entitativam perfectionem actus, quæ potest esse maior, vel minor circa idem omnino obiectum, ut perfectior est visio superni Angeli de infimo, quam infimi de seipso, & tamen utraq; est æqualiter adæquata obiectum, in repræsentando, nec una plus obiectivè repræsentat, quam alia, cum utraq; sit comprehensiva, & nihil videatur per unam, quod non videatur per aliam; Itaque actus ille idem modo plura, modo pauciora repræsentaret ob accretionem, vel diminutionem in latitudine extensiva, quam suscipere potest per additionem, vel subtractionem realem respectum representationis, & attingentæ in ordine ad plura, vel pauciora obiecta secundaria per revelationem divine voluntatis in essentia factam; Ita docet Scotus eadem d. 14. q. 2. M. verſ. si primus modus, ubi ait, sustinendo, animam Christi videre omnia quæ videt Verbum actualiter unice, actus, non sequi, actum illum esse infinitum, sicut est visio divina, quia actus ille nec esset comprehensivus primi obiecti, neque obiectorum secundariorum, nec necessariò ex perfectione sua esset obiectorum secundariorum, sed posset esse idem actus dato, quod esset tantum primi obiecti, quia illa non repræsentat ex perfectione sua, sed ab extrinseca additione tot respectum attingentia, quot sunt obiecta secundaria visa, quibus demptis remanet idem actus quoad substantiam, & essentialiter invariatus, & tantum variatus accidentaliter ex amissione illorum plurimum respectum, sed visio divina ex perfectione sua est necessariò sui, & aliorum, atque idè idè infinita. Hanc Scoti doctrinam impugnat Poncius disput. 4. citat. num. 61. si posteo illo respectu tendentiæ videretur obiectum, & eo ablato non videretur, potius debere dici visio, quam respectus, vel potius ipse respectus est visio, & sic adhuc haberetur intentum, quod per visionem obiecti primarii non possit de novo videri obiectum secundarium ab ipse nova visione. Deindè sicut dicit Scotus, quod per respectum de novo venientem possit de novo videri aliquod obiectum, sive tanquam per causam formalem, sive tanquam per conditionem, sine qua non; posset patitur dici, quod haberemus cognitiones omnium obiectorum nobis congenitas, & quod quamvis non videremus actu obiecta eorum hoc non oriatur ex defectu cognitionis, sed ex defectu respectu tendentiæ; qui debet acquiri, quod est falsum. Resp. negando solum, illum respectum tendentiæ actus vitalis in obiectum dici posse visionem, quia ut dictum est disp. 6. de anima q. 3. art. 1. nu. 35. & sequi intellectio nec dicit solam qualitatrem, nec solum respectum tendentiæ, vel attingentia vitalis, sed dicit utrumque, absolutum quidem de principali significato, respectum verò de connotato, ut docet Doctor quot. 13. M. qua

de causa actus vitales dici solent relativa secundum dici; qui quidem attingentia respectus, si sit ad obiectum primum, identificatur realiter cum actu, idè verò sit ad obiectum secundarium, distinguuntur realiter, & actus potest sine illo existere, absolute loquendo; quare ad argumentum negatur antecedens, & consequentia inde deducit. Ad aliud negatur antecedens, & Scotus id peculiariter affert de beata visione, sicut in opinione communi, quod Beatus unico actu videt essentiam, ut obiectum primum, & alia ab essentia, ut obiecta secundaria, cum enim juxta eius principia dari nequeat nec species impressa, nec expressa, plura obiecta disparata distinctè, & clarè repræsentans; si opinionem communem tueri velimus, quod Beati unico actu videant essentiam, & alia ab essentia, hoc asseri nequit, nisi per additionem ab extrinseca, factam illorum respectum attingentia ad diversa obiecta secundaria per novam revelationem in essentia divina; neque id trahi potest in consequentiam de aliis cognitionibus naturalibus, quoniam singula obiecta disparata propriis actibus attinguntur, ad quos concurrunt partialiter cum potentia, tanquam obiectum sortis primum, atque idè respectus vitalis attingentia singulis suis actibus correspondentatipillis realiter identificatur.

Sed rursus Suarez cit. cap. 2. §. 3. nititur probare, nullam esse repugnantiam, quod idem actus nunc ex perfectione sua sit visio essentia, & etiam necessariò aliorum ab ea, varias afferendo instantias, & similia, quibus ostenditur, posse eodem actu plura obiecta etiam disparata simul repræsentari. Tunc quia Angelus per unam universalem speciem intelligibilem intelligit uno actu naturam Leonis, & Equi, non quidem ex connexione obiectorum inter se, sed ex virtute sua. Tunc quia corpus vultus unica visione immediate, & directè plura simul percipit obiecta etiam disparata. Tunc quia res, quæ inter se connexæ sunt, ut sunt relativa Patris, & Filii, necessariò unico actu cognoscitur. Tunc tandem, quia quod una res includitur in alia, sicut conclusio in suis principiis, necessariò eodem actu cognoscitur. Respondeo negando assumptum, non enim minus repugnat talis species impressa plurimum quidditatum, disparatarum repræsentativa, ut probat Doctor d. 2. §. 3. quest. 10. quia species expressa, & visio de qua loquimur, uno disp. 6. de anima quest. 6. nu. 267. ex impossibilitate illius deducimus impossibilitatem istius, Ad 2. negatur etiam assumptum ex ibi dictis, etenim cum plura obiecta simul disparata obiectur obtutu nostro, videtur unumquodque visione propria, neque repugnat, plures visiones simul oculo inherere ab obiectis presentibus immediate causatis partialiter cum potentia; sicut neque int electum posse simul, & semel plura intelligere per modum plurimum, & diversis actibus. Ad 3. potest etiam negari assumptum, quoniam visum relativa dicantur esse connexa in cognitione, hinc non sequitur, unico actu ambo debere cognosci, hoc enim totum adhuc salvatur, ponendo, quod cognoscatur pluribus actibus inter se connexis, ut Scotus docet d. 2. d. 43. quest. 1. C. ed vel maxime, quod relativa non cognoscuntur simpliciter apprehensione intellectus, sed noticia compositiva, quæ est veluti composita ex duabus partialibus, tunc quia duo relativi non sunt obiecta disparata, sed invicem connexa, ac veluti subordinata. Ad ult. concedo, quod si unum includitur in alio, ut pars essentialis, possunt uno, & eodem actu attingi ex Scoto 1. d. 3. q. 2. §. quinto dico, ubi ait, magis, & minus universale posse per eandem speciem cognosci, quia sunt subordinata, & superius in inferiori essentialiter includitur, ut dixi disput. 6. citat. num. 267. si autem unum includitur in alio tantum virtute, sicut effectus in sua causa, & conclusio in principiis, nego, eodem actu necessariò utrumque cognosci; in proposito autem nostro, neque relatio includitur in essentia formaliter, & quidditative, neque è contrà, nec minus attributa includunt essentiam, vel è contrà, ut dictum est disp. 2. quest. 1. sed persona tantum hoc pacto includit essentiam, & relationem, ex quibus intinsecè coallescit, & idè absolute repugnat, personam divinam videri sine essentia, vel relatione.

Sextò Amicus sect. 8. cit. n. 330. duplici ratione nititur ostendere impossibilitatem non esse tendentiæ; primò quidem à posteriori, quia si una perfectio posset videri ab ipse alia, sequeretur, visionem, qua de facto videtur Deus, esse infinitam, nam quo visio plura attingit attributa, eo perfectior est, ergo quæ attingeret infinita, qualis esset visio, qua modo Deus videtur, erit infinitè perfectioris. Neque dicas, perfectiones in Deo esse intensivè finitas, quia saltem hoc argumentum fieri potest de perfectionibus infinitis intensivè, quæ à Beato videntur, ut infinitè perfectæ ex parte obiecti, nam ad videndum v.g. Sapientia, ut duo ex parte obiecti, requiritur certa intensio visionis; ergo ad videndâ illam infinitè perfectam ex parte obiecti, requiritur infinita intensio visionis. Deindè probat ratione à priori deducta ex natura ipsa intelligibilitatis obiecti, hæc enim, quam unaqueque res habet ad movendam potentia intellectivam

lectivam ad intellectionem sui, immediate fundatur in tota entitate, reijcto implicat, si res est indivisibilis, quod possit movere intellectum ad intellectionem, quod non repræsentet ipsam secundum totam suam entitatem, & intrinsecam perfectionem, quam habet, consequentia constat, quia si potentia motiva obiecti fundatur in tota entitate rei, movere debet intellectum ad totam entitatem sui cognoscendam, alioquin non moveret secundum modum sibi proprium; probatur antecedens, quia primarius finis talis potentie motive ex parte obiecti est determinate intellectionem ad sui representationem, ne potentia cognoscitiva possit circa proprium obiectum falli, ad hoc autem necessaria fuit potentia productiva representationis totius entitatis obiecti; quam rationem fuse ampliat, & profertur ibi.

Responsum illam à posteriori non concludere, si enim aliquid valet, ad summum probaret solum, nullà esse posse visionem, quæ infinita attributa attingeret, non autem aliqua repugnare, quæ videatur unum attributum sine alio, aut plura finita, sicut modò fuit; sicut si visio omnium creaturarum repugnet Beato, eodè quod hæc esset infinita, non rectè hinc probaretur, repugnare visionem, quæ videatur una creatura sine alia, aut quæ videatur finite creatura, idè tot, & non plures; Et responso assignata inter arguendum est optima; neque pariter instantia contra illam facta aliquid concludit, alioquin etiam de facto probaret, nullam esse ibi Beatis attingi, ut in infinitum ex parte obiecti, quia talis visio esset infinitè perfectioris, per eandem calculationem in instantia factam; quare eo argumento solum ostendit, potest nullum attributum, ex eo quod est infinitum, posse à Beato cognosci, quoad omnem modum sue cog. obiectivitas, quia sic solus Deus suas perfectiones attingit, ideoque illas comprehendere dicitur ut Scot. docet 3. d. 14. quest. 2. infra. Non autem probatur, quod non cognoscatur à Beato quodlibet attributum, ut infinitum, & sub ratione infinitatis esse, ut ibi Doctor ostendit, quomodo autem illa calculatio, crescente perfectione obiecti crescere debet perfectio visionis, absolute non tenet in visione beata, declaratur idè supra q. 1. huius disp. art. 1. nu. 13. Ad rationem à priori concessam antecedente negatur consequentia, quia licet Deus ob suam summam simplicitatem sit in plures res indivisibilis, idè tamen divisibilis in plures formalitates, quarum unaqueque propriam habet intelligibilitatem ab intelligibilitate alterius distinctam, secundum quam propriam terminare potest visionem, alia non visa; ad probationem consequentia dico, per eam probari solum, quod naturaliter loquendo noticia intuitiva terminari debet ad rem cum omni modo sibi realiter identificato; quia obiectum cum omnibus illis ad visionem, conaturaliter concurrat, hic enim est modus movendi conaturaliter sibi proprius; ac verò per potentiam Dei absolutam, & interveniente miraculo opus non est, obiectum eocurrere ad visionem cum omni modo, quo existit à parte rei, sed sub illo tantum modo, sub quo Deus vult videri, ut dictum est num. 239. tunc quia illa probatio valet tantum de obiectis naturaliter motivis, Deus autem non movet naturaliter intellectum, creatum liberè, sed & voluntariè, adeoque applicatio obiecti supernaturalis ad movendum, intellectum beatum fit intervenit actus divine voluntatis, quæ movet, quantum vult, & sicut vult; tunc tandem, quia argumentum, ut proponitur, nedum probat per actum intuitivum nullam fieri posse præcisionem in obiecto movente, sed nec etiam per actum abstractivum, quod tamen nemo negat; & probatur sequela, quoniam intelligibilitas, quam unaqueque res habet ad movendam potentiam intellectivam ad intellectionem sui immediate fundatur in tota entitate rei, sive hæc intellectione sit intuitiva, sive abstractiva, ergo semper movere debet indispensabiliter ad intellectionem, quo ipsam repræsentet secundum totam suam entitatem, absque ulla profus præcisione, tam in cognitione intuitiva, quam abstractiva.

Septimò tandem arguitur, quia si potest videri essentia divina absque aliquo attributo, poterit videri specialiter absque immeditate, quæ Deus est absque præsentia; sed cognitio, quæ habetur de obiecto abstrahendo ab eius præsentia, non est intuitiva; ergo hæc cognitio essentia divina non erit intuitiva. Confitetur Dei quidditativam, & indistinctam, quæ non sit intuitiva, quia talis cognitio simul cum essentia perciperet etiam immensitatem Dei, & sic intueretur Deum, quatenus præsetem unde esset intuitiva. Resp. si argumentum quod probaret, ad summum probaret, non posse divinam essentiam videri sine attributo immensitatis, non autem sine aliis attributis, at neque id sufficienter probat, quia etiam videretur absque attributo immensitatis ad hæc talis cognitio tenderet in divinam essentiam, ut actualiter existentem, siquidem à tali existentia nequit præferendè, cum sit de eius quidditate, & hoc sufficeret ad rationem notitiæ intuitivæ; tunc quia præsentia Dei ad eius intuitionem necessaria non est sola præsentia per immensitatem, sed per illas præsentia generalem; ita enim est præsentia cuicumque intellectui creato,

& universaliter omnibus creaturis; sed est præsentia obiectiva per voluntatem, & immediatam exhibitionem suæ essentia intellectui, per quâ ita illi unice, quasi per modum speciei intelligibilis, ut sit proximè paratus cum eo concurrere immediate ad sui visionem; quod præsentiam obiectivam opus non est, quod tunc intellectus cogitet, aut videat Deum ubique præsetem per immensitatem, sed solum quod experiatur illum sibi intimè assistentem per modum obiecti, qualem præsentiam ad notitiam intuitivam requiritur posse habere Deus cum intellectu creato, etiam si per impossibile non foret immensus, de quo vide dicta supra num. 24. §. 3. & 52. Ad aliud negatur assumptum, nam ut constat ex ibi dictis, præter notitiam Dei intuitivam, qualem modò habent Beati, posse dari notitiam Dei quidditativam, & distinctam per speciem impressam divine essentia, quæ proindè noticia esset abstractiva, non intuitiva, hæc enim haberi nequit per speciem, sed necessarius est concursus obiectivus immediatus ipsius rei intelligibilis in propria essentia intellectui præsentis, & non immediate speciei; & talis cognitio licet attingeret essentiam, & immensitatem Dei, adhuc tamen abstractiva diceretur, & non intuitiva, quia illa attingeret duntaxat, ut obiecta merè cognita, non autem ut rationes movendi, seu ut conditiones obiecti moventis, & terminantis, ut dictum est supra n. 1. & 2. q. 1. & 51.

QUESTIO NONA

An repugnet, Beatum videre in Deo omnes creaturas, tam futuras, quam possibles.

Præter ea, quæ sunt formaliter ex natura rei in divina essentia sunt personæ, relationes, & attributa, docet Theologus, Beatum videre etiam aliqua, quæ dicunt esse in Deo virtualiter tantum, & eminenter, quales dicuntur esse creature, tam possibles, quam futuras, de quibus communiter hæc regulam assignant, quod videant in Verbo, hoc est, in divina essentia omnia, quæ pertinet ad statum uniuscuiusque beatificum. Difficultas verò est circa modum, quo Beati creaturas in Deo cognoscant, an scilicet tanquam in causa, vel tanquam in speculo, & specie expressa rerum omnium repræsentativa, vel potius tanquam in idea, & specie impressa eminentialiter omnium creaturarum, ita ut sit præcisè ratio cognoscendi creaturas, non autem mediū cognitum, in quo creaturæ cognoscantur. Sed quoniam in hac difficultate servata proportione dicendum est de intellectu Beato; sicut dicitur de intellectu divino; quod ad modum disp. 3. quest. 1. art. 1. diximus, divinum intellectum videre cuncta possibilis in essentia sua nullo ex præfatis modis, sed tantum tanquam in obiecto primario, & medio præcisè cognito, modo ibidem explicato nu. 29. ita in proposito dicendum de intellectu beato, quæ hæc differentia tamen, quod comparatione divini intellectus essentia est omnino naturaliter illimitata ratio obiectiva cognoscendi possibilis, quatenus verò supponit decreta divina; voluntatis est ratio cognoscendi decreta futuræ creature, comparatione intellectus creati simul dicitur ratio cognoscendi possibilis, & futura, quatenus illius est præcisè motiva liberè per actum liberum, divine voluntatis. Præterea est difficultas, an Beati distinctis actibus videant divinam essentiam cum suis perfectionibus, ut obiectum primum, & creaturas possibles, ac futuras, ut obiecta secundaria, & potius eadem visione beata, quæ vident Deum, cognoscant etiam in ipso Deo creaturas possibles, & futuras; sed licet satis probabiliter sit, Beatos in essentia divina quotquot res ex possibilibus, vel futuris de facto vident, per revelationem tantum extrinsecam in ea à divina voluntate casualiter factam, hoc est, per propriam visionem distinctam à visione essentia vident, ut dictum est supra nu. 24. ex Scoto 3. d. 14. quest. 2. communiter tamen sententia, & probabilior est, Beatos videre res in Verbo possibles, vel futuras ex peculiari revelatione divine voluntatis per eandem numero visionem, quæ videt essentiam, factam in ea tantum mutatio acquisitiva novi respectus realis tendentiæ, sive attingentia ad illas res, ut ibi declaratum est num. 24. ut clarè tradidit Doctor quot. 3. Prolog. A. A. & 4. d. 45. quest. 4. lit. D. ubi docet, obiecta secundaria posse tantum à Beatis videri in essentia divina ex revelatione sola speciali divine voluntatis, modo iam declarato; & 1. d. 1. quest. 3. ubi docet, non esse dicitur actus in intellectu Beati comparatione obiecti primarii, & secundarii, sed esse omnino unum numero per se primò prioris obiecti, & eius virtute tantum obiecti posterioris, & 3. d. 14. quest. 2. cit. infra. M. ubi inquit, quod si ponatur anima Christi videre omnia in verbo, quæ videt Verbum, & unica visione, non sequitur, visionem illam esse formaliter infinitam; quia non esset necessariò illa visio ex perfectione sua obiectorum secundariorum, hoc est, quod non tenderet in illa ex vi sua propria, & innata, sed ex additione extrinsecæ facta illorum respectum per revelationem extrinsecam divine voluntatis; objectiones verò

Suarez, Averſe, & Poncii contra hunc dicendi modum, ut ponitur a Scoto, ſufficienter diluimus a nu. 243.

Reſtat itaque hic ſolum ventilanda præcipua difficultas, in titulo queſti propoſita, an uno, vel altero ex recitatis modis poſſit Beatus videre in Deo omnes creaturas, tam futuras, quam poſſibiles; proponitur queſtio de poſſibili, quia certum eſt, vel ſaltem communiter indubitatum, nulli Beatorum inſtrâ Chriſtum Domini videre omnia poſſibilia, & futura; quamvis enim diſtincte videant ætæ ibitum divinæ omnipotentis, non hinc ſequitur, quòd etiam videant omnes creaturas poſſibiles in ſpecie, quia omnipotentia, ſicut, & omniſcientia non ſunt perfectiones relative ſecundum eſſe, ita quòd eſſentialiter includat ordinem tranſcendentem ad creaturas, ſed tantum relative ſecundum dici, que de principali ſignificato aliquid abſoluti importat, nonnotando creaturas poſſibiles, non ob aliquem reſpectum realem, quem ſuſtinet ad illas, ſed ob dependentiam eſſentialem creaturam a Deo, ut primo ente, ut dictum eſt ſuprà diſp. 3. nu. 9. & diſp. 3. Log. num. 66. Tum quia quando etiam dicitur talem reſpectum tranſcendentem ad creaturas, ut diſtincte cognoscatur cum tali reſpectu, adhuc opus non eſt, omnes creaturas poſſibiles in ſpecie cognofci, ſed tantum in genere; ſic enim adhuc clarè eam videret ſub ratione potentia, que poſſit in omne poſſibile, quòd ſufficit, quemadmodum, ut Angelus videat potentiam materiæ primæ, non eſt necelle, ut diſtincte videat ordinem ejus ad ſingulas formas, quas recipere poteſt, ſufficiens, que ſunt infinita, ſed ſufficit, quòd eam videat, eſſe capacem quæſcunque formæ ſubſtantialis in genere; cujus ratio eſt, quia ut dictum eſt nu. 288. & 230. ad intuitivam noticiam relationis minimè neceſſaria eſt diſtincta cognitio termini, præſertim intuitiva; itaque in hac controverſia communis opinio Thomiſtarum eſt, repugnare viſionem creatam terminatam ſimul ad Deum, & ad omnes creaturas poſſibiles, ita Cajet. Bannez, Zamel, & alii p. 1. queſt. 7. art. 7. & 8. ubi Faſolus dub. 21. Averſa qu. 12. ſec. 25. Arrubal. p. 1. diſp. 27. cap. 2. Amic. diſp. 9. ſec. 22. Granad. p. 1. controver. 1. trac. 6. diſp. 1. ſec. 6. Alcaton p. 1. diſp. 4. cap. 4. Lezana tract. 3. diſp. 3. queſt. 5. & alii recenſes, & veteres paſſim; & ex noſtris Smiling, tractat. 2. diſp. 6. queſt. 8. Poncius diſp. 4. queſt. 7. concl. 7. & alii plures ſcripſiſſe, eo quòd Doctor hanc partem probabilem indicaverit 2. d. 14. queſt. 2. ſ. ſed ſiſta. Oppoſitam vero ſententiam id non repugnat, docent plerumque Recenſiores, ſec. 2. Magiſtrum 3. d. 14. ſ. quibus reſpondetur; Albertum Magnum ibid. ar. 1. cap. 3. Arriaga diſp. 13. ſec. 1. Ovid. p. 2. tract. 1. controver. 4. punc. 5. Albertum tom. 1. qu. 4. Theol. Heriz diſp. 51. cap. 4. Valentia p. 1. queſt. 12. punc. 6. Lugo diſp. 19. de Incarnat. ſec. 2. & ex noſtris Arceſinus 3. d. 14. qu. 2. art. 1. & ſequent. Gallus in 3. d. 14. art. 1. cap. 5. Vulpes diſp. 27. art. 8. & alii ſcripſiſſe, eo quòd Doctor ibid. ſ. tertio modo, hanc quoque partem judicaverit probabilem; imò præſati Scotiſte non ſolum id aſſertum de poſſibili pro quoqueque intellectu beato, verum etiam de facto id aſſerunt de intellectu anime Chriſti, quòd ſcilicet videat omnia que Verbum videt, tam ſcientia naturali, quam libera, quia ſicut monet Doctor 3. d. 13. queſt. 4. ſ. quantum ad 2. queſt. ex Auguſt. 3. de lib. arb. quidquid tibi vera ratione melius occurrat, ſciat hoc Deum magis ſciſſe, quam non ſciſſe, præſertim clerica humanitatem à Verbo aſſumptam; quare ſi hoc non repugnat verè rationi, nec in id negandum non erit potentie Dei abſolute, ſed præterea etiam de facto erit aſſertum de Sacra Chriſti humanitate, quia in commendando Chriſtum, ait pius Doctor, potius debemus excedere, quam deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam in alterum incidere oporteret, quare cum auctores primæ ſententiæ non ſatis inter ſe conveniant in aſſignanda ratione repugnantie, cur nequeat Beatus omnes videre creaturas in eſſentia divina; illas omnes, & ſingulas ſaltem principales opere eſt examinatum, ut prudens de utraque opinione, & opinione judicium ſerte poſſimus; etiam ſi aliqua ratio invenitur convincens, prima ſententia erit præferenda; ſi minus ſecunda, cum id præſertim vertat in majorem excellentiam, tum anime Chriſti, tum omnipotentie divine.

ARTICULUS PRIMUS.

Implicantie Thomiſtarum expenduntur.

PRIMA, & frequens ratio apud Thomiſtas implicantie ſumitur ex D. Thoma p. 1. queſt. 7. art. 8. quia taliter cognoscere cauſam, ut omnes effectus in virtute illius contenti pariter cognoscantur, eſt comprehendere cauſam; ſed repugnat, Deum ab intellectu creato comprehendere; ergo nec de facto eſſe poſſibile talis viſio Dei, per quam omnes poſſibiles creaturæ in Deo viſo cognoscantur; Conſtat hanc rationem Amicus à priori, cognitio toto producibili cum adæquata connexione ad ſuum productivum comprehenditur productivum; ergo cogni-

tis omnibus poſſibilibus cum adæquata connexione ad omnipotentiam Dei comprehenditur ipſa omnipotentia Dei, ſed implicat comprehendere ipſam omnipotentiam Dei, non comprehendens tota ſubſtantia; ergo ex cognitione omnium poſſibilium in Verbo ſequitur adæquata comprehenſio Verbi, quam rationem ſuo ſequitur Amicus loc. cit.

Hujus tamen rationis imbecillitas ſatis coſtat ex dictis de natura comprehenſiva cognitionis diſp. 6. de anima queſt. 12. ubi à nu. 340. oſtendit, ad comprehensionem alicujus objecti minimè neceſſarium eſſe cognitionem eorum, que in objecto continentur eminerent, & virtualiter, quòd etiã tenet Poncius diſp. 3. queſt. 6. nu. 52. licet oppoſitum ſentiat Smiling, diſp. 7. queſt. 1. nu. 10. & Gallus 3. d. 14. præluſ. 5. diſp. 2. ſec. 1. idque probavi ex ipſa notione comprehensionis, tradita à D. Aug. epiſt. 112. cap. 8. & ab omnibus plauſibiliter recepta, dum ait: *res comprehenditur, cum ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*, quod enim virtualiter ſolum, ac eminerent continentur in objecto, non poteſt verè, ac proprie dici aliquid ejus nec effectus ad eſſe cauſe pertinere videntur; ergo cum ait Aug. in comprehensione nihil objecti latere videntem, intelligit de prædicatis ex natura rei, & formaliter in objecto reperitis, que ita penetrantur, ut attingantur ſecundum omnes gradus intelligibilitatis eorum, & quodammodo finiatur, & exhauriatur, & ſubjecti intelligibilitas, quòd ſignificat Aug. cum magis explicans, quanta debeat eſſe cognitio objecti, *ut nihil ejus lateat videntem*, ſtatim ſubdit, *aut cujus ſinis circumſcripti poſſit*, quòd adhuc magis expreſſit, cum dixit idem Aug. lib. 12. de Civit. Dei cap. 18. illud *ſcientia comprehendens, quòd ſcientis cognitio finitur*, & eſt id, quòd dicere ſolemus, tunc objectum comprehendit, quando nec in totum cognoviſti, id eſt, quòd omnes formalitates in eo à parte rei formaliter reperiatur, ſed etiam totaliter, id eſt, quòd omnes gradus cognoviſſilitatis ejus, adeo ut adus comprehenſivus ſit commenſuratus, & adæquatus intelligibilitati totius objecti, ut Doctor explicat 3. d. 14. qu. 2. F. Tum quia diſp. 6. nu. 14; addidi, quòd quamvis prædicata Thomiſtarum ratio in cauſis univoecis locum habere poſſet, ubi quia cauſa non ſuperat effectus ab eo producibiles in perfectione, videtur deduci poſſe, quòd ſi cognoscatur effectus omnes ab eo producibiles, ipſa quoque perfectiſſime cognoscitur, quia effectus illi adæquant ſuam virtutem, & perfectionem, in cauſis tamen equivocis nullatenus locum habet, cum enim ipſa valde excedant totam univerſitatem effectuum ab ea producibilium; itaſi omnes iſti attingantur, non adhuc ita perfectè cauſa cognoviſti, quantum cognoviſſilitas eſt, quia omnes illi effectus animi ſimul ſumpti totam virtutem, & perfectionem cauſæ adæquare non valent; ſicut Solem nequaquam comprehendere, quòd omnes effectus ab ipſo producibiles cognoscere, eum adhuc reſtare, Solem ipſum cognofci in gradu perfectionis, quòd omnes illos effectus ſuperat; ſed Deus eſt cauſa æquivoce creaturarum; ergo etiam ſi omnes creaturæ non ſolum exiſteſſe, ſed etiam poſſibiles videntur in Deo, adhuc ipſe non comprehenditur. Deinde nunc à priori arguuntur, Deus ſecundum ſe, & quatenus præſcindit ab omni ordine, vel connexione ad creaturas eſt incomprehenſibilis, quia ſecundum ſe, & prout à tali ordine præſcindit, eſt eſſe perfectiſſimum, infinitum, & infinite cognoviſſibile; ergo non ideo eſt incomprehenſibilis, quia nequeunt in eo omnes creaturæ videri, ut deducit allata Thomiſtarum ratio. Tum tandem, quia Thomiſte in hac materia vitioſum circulum committunt, nunc enim dicunt, non poſſe à Beatis omnia videri, que ſunt virtualiter, ac eminerent in Deo, quia alioqui comprehenditur; deinde ex eo probant, Deum eſſe incomprehenſibilem, quia non poſſunt videri omnia, que in ipſo virtualiter, & eminerent continentur; quòd planè eſt circulus manifeſtus; alias impugnationes prædicte rationis Thomiſtarum efficeſſe vide apud Doctorem ipſam loc. cit. 3. d. 14. queſt. 2. ſ. contra rationem.

Dices, utique ad comprehensionem Dei non ſufficere, ut attingantur omnia virtualiter, & eminerent in ipſo contenta, ſed etiam agnoſci debere, quæcumque in ipſo continentur formaliter, & ex natura rei, tunc enim adæquate omnino cognoscetur, quantum cognoviſſibile eſt, etiam ſi cauſa æquivoce reſpectu effectuum ab ipſo producibilium. Sed hæc quoque evaſio præcluſa eſt diſp. 6. cit. n. 347. nam ſi cognitio omnium effectuum ab ipſo producibilium non ſufficit ad eum comprehensionem, ut conceditur, neque etiam cognitio omnium, que in ipſo formaliter, & ex natura rei continentur, nam de facto Beati hæc omnia vident, nec tamen Deum comprehendunt; ergo neque etiam tota cognitio ex illis dubus integrata, aut eiaſ equivalentes foret comprehenſiva, quæ cognitiones ſunt etiam conjunctæ non faciunt unam infinitam, ſicut nec due quantitates finite ſimul junctæ quantitatem infinitam conſtituere poſſunt. Dices, non poſſe aliquid actum intelligendi eſſe magis intelligibilitati objecti commenſuratum ſecundum eſſentialem perfectionem in reſtando, quam ſi reſtaret omnia.

nia, que ſunt in objecto formaliter, ac virtualiter, tunc enim nulla res, nulla formalitas, & nullus modus latet videntem, ſed totum objectum videtur, ac totaliter, quòd eſt adæquate comprehendit. Contra, quia totalitas cognitionis objecti per comprehensionem importata nõ eſt aliqua formalitas objectiva in re, & egeris conditio, habens rationem, quòd, ſed potius eſt modus perfectiſſimus intelligibilitatis ipſius objecti, habens rationem, quòd, quomodo explicat ipſe S. Thom. loc. cit. in ſolutione ad 2. d. inquit, quod ſi aliquis ſciat hæc conſiſſione, *triangulus habet tres angulos*, ſolum per medium probabile, eſto per tale medium probabile cognofcat totum, quòd eſt in triangulo, nunquã tamen eam conſiſſionem dicitur comprehendere, donec illa cognofcat per medium demonstrativum, eo quòd illa propoſitio perat demonstrative cognofci, ut penetratur, quantum cognoviſſibilis eſt ex parte ipſius; cum ergo Deus talis ſit nature, quòd peccat cognofci, tam quoad ea, que in eo continentur formaliter, & ex natura rei, quam quoad ea, que continentur virtualiter, & eminerent, medium cognitionis finitæ, eſt etiam infinita, & per eſſentia, quandoquidem quilibet res petit cognofci cognitione ſibi proportionata; hinc eſt, quòd eſt quòd per viſionem beatã creatam cognofcetur Deus quoad omnia, que ſunt in ipſo tam formaliter, quam virtualiter; adhuc non comprehenditur, quia non cognofcetur cognitione ſua intelligibilitati proportionata, & commenſurata, qua debet eſſe infinita; quem modum explicandi comprehensionem à Scoto edocuit loc. cit. amplexi ſunt hæc tempore quæ plures Recenſiores, etiam de mente, S. Thomæ, ut Arriaga, Lezana, Ovid. & alii loc. cit. qui proinde allegant rationem Thom. nullam exiſtitant.

Dices, ex iſta explicatione comprehensionis ſequi, opus eſſe, ut commenſuratio notitiæ comprehensionis cum objecto comprehendit ſit abſolute, & ſimpliciter in genere entis; petitur enim, quòd ſi objectum eſt infinitum, ſive infinite intelligibilitatis, ſit etiã ejuſ comprehensionis cognitio infinita, & intellectus comprehenſivus infinite intelligitativus; eſt talis commenſuratio in genere entis negavimus, eſſe neceſſaria diſp. 6. cit. n. 344. & paſſim alii negant, quia cognitio non per eſſe in eodem ordine phyſico cum objecto, unde cognitio, quia Angelus ſubſtantiam creatam cognofcit, ejuſ comprehensionem, adhuc eſt accidens; tum quia ſi comprehenſio requiritur equalitatem perfectionis in eſſendo cum objecto, nulla ſubſtantia comprehendetur, niſi à ſolo Deo quia nimirum omnis alia cognitio eſt accidens de genere qualitatũ, atque ideo inferior objecto ſubſtantiali cognitio, & ſic incomprehenſibilitas non eſt proprium Dei attributum. Sed falſum eſt, ex noſtro modo explicandi naturam comprehensionis ſequi, quòd exigit equalitatem perfectionis in eſſendo cum objecto; ſolum enim requiritur proportio in reſtando, non ſimilitudo in eſſendo, ut nimirum intellectus, & intellectio tante ſit intelligitativus, ut loquitur Doct. lig. F. quante intelligitativus eſt objectum; unde quia intelligitativus cujuſque; ſubſtantie create, non excedit intelligitativum Angeli, ſufficiens proportio inter ea reperitur, ut poſſit ab Angelo comprehendere; e contra verò quia intelligitativus Dei excedit intelligitativum cujuſque intellectus creati, non eſt inter ea ſufficiens proportio, ut Deus poſſit ab illo comprehendere. Quia intellectus divinus Deum comprehendit, ſequitur, quòd ipſe, vel ejuſ cognitio divinam eſſentiam adæquet, aut ſit ei commenſuratus penitus in eſſendo, quia licet tam divina eſſentia, quam intellectus divinus, & intellectio ſit infinita, non adhuc ſunt infinita in eodem ordine, ac eodem inſinitate, non adhuc ſiquidem inſinitas eſſentie omnino ampla, & illimitata eſt in toto genere entis, nimirum in genere intelligitativo, ſicut & quolibet aliud attributum ſolum in proprio genere dicitur inſinitum ex illis diſp. 2. q. 2. quare conſtat, univerſaliter loquendo inter intellectum comprehendentem, & objectum comprehenditum, non requiri ſimilitudinem, & equalitatem perfectionis in eſſendo, ſed ſolum proportionem intelligitativam, & intelligitativum, ut nimirum intellectus, & intellectio ſit tante claritatis, & intelligitativus, quantum petit objectum intelligi, ut deſcendantur omnes gradus intelligitativus ejuſ, quod in eo fieri nequit, niſi per cognitionem inſinitam; ſed de natura comprehensionis ſatis egimus diſp. 6. cit. q. 12. & ideo circa hoc non amplius eſt hic immorandum.

Secũda ratio implicantie ex eo deducitur, quòd talis viſio omnium poſſibilium foret infinita cognitio, eo quia omnes creaturæ poſſibiles ſimul ſumptæ, aut ſunt infinite ſimpliciter, & categoricè, aut ſaltem infinite ſubcategoricè, ſive finitæ in inſinitum; probant conſequentiam Thomiſte argumento illo erito calculatorio, quò plures in Deo videntur creaturæ, eò viſio eſt perfectior; ergo ſi videntur infinite, viſio erit infinita; patet antecedens, quia hic eſt ſermo non tantum de numerica diverſitate, ſed etiam ſpecifica omnium creaturarum poſſibilium, quarum una ſemper eſt in inſinitum perfectior alia eſſentialiter, atque ideo pollularet perfectiorem viſionem; conſequentia probatur, quia viſio illa inſinitatũ creaturarũ conti-

neret eminenter perfectionem inſinitam numero viſionum reſpondentiũ ſingulis creaturis; eſt ergo viſio infinite perfectionis, quòd repugnat viſioni create, Idem argumentũ conſiſtunt ex parte luminis, ut viſio ſit omnium, que ſunt in Verbo, ac proinde inſinitum requiritur lumen inſinitum, ſed lumen inſinitum nõ eſt poſſibile, ut conſtat ex Phyſicis; ergo nec viſio creata, que ſit inſinitum; major probatur, quia ad viſionem abſolute habendam requiritur lumen, & ad proportionem luminis datur viſio, tum inſenſive, tum extenſive; ergo &c.

Reſellitur hæc ratio communiter, quia ſimili argumento probaretur, ad videndum Deum requiri viſionem inſinitam, & lumen inſinitum, nam ad videndum aliquod objectum requiritur aliqua virtus, & ad videndum perfectius objectum requiritur perfectior virtus; ergo ad videndum inſinitum objectum, quale eſt Deus, requiritur infinita virtus; ſã autem diximus ſuprà nu. 3. & diſp. 10. Phyſ. nu. 31. ex illa calculatione non ritè inferri inſinitatem ſimpliciter in ſpecie reſtando, ſive ſit impreſſa ſive expreſſa; ſed tantum inſinitatem quandam, & ſummam in ſerie cognitionũ adeo quòd extrinſecè, & objective nequeat dari perfectior actus, hoc eſt, circa perfectius verſans objectum, ſed in ſerie cognitionum hæc ſit major; cujuſ ratio eſt, quia cum ſpecies, & cognitio ex ſua natura ſepor ab objecto deſiciat, calculatio procedit, & creſcit ſecundum proportionem, verò ad equalitatem, ſeu ut alii loquuntur, creſcit ſecundum proportionem geometricam, nõ verò arithmetica; Nègandum itaque eſt, quòd actus terminatus ad inſinita cõtinèat eminenter actus inſinitos, & admiſſo etiam, quòd ſic continetur, negãdum adhuc, quòd eſt inſinitus ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, ſeu in certo genere, quia ſicut tota collectio poſſibilium ſimul ſumpta non eſt tante, ſed multò minoris perfectionis, quam ſit Deus ſolus, ita inſinitus actus ad totam illam collectionem terminati non faceret unum inſinitum ſimpliciter, etiã per aggregationem; quia nec comprehendere omne actum poſſibilem ſecundum intentionem gradualem, neque actum terminatum ad objectum increatum; quare nec unum, idemque actus continet illos inſinitos actus eminenter, eſt inſinitus ſimpliciter, ſed ſolum in reſtando quodam numero inſinito, ſed reſponderet Lezana, argumentum calculatorium militare in propoſito, de viſione reſpectu inſinitarum creaturarum, non autem reſpectu ipſius Dei, quia licet quando aſcenſus, vel gradatio ſit per res diverſi ordinis, non valeat argumentatio calculatoria, ut ſit in inſtantia alata de viſione Dei; quando tamen ſit per res ejuſdem ordinis, tunc argumentatio bene procedit, quãd potentia activa creſcit ex accretione objecti in perfectione, unde valet arguere, ad portandum aliquod pondus requiritur aliqua virtus, & ad portandum inſinitum pondus requiritur aliqua virtus; ergo ad portandum inſinitum pondus requiritur infinita virtus, quia aſcenſus, ſeu gradatio ſit per res ejuſdem ordinis, ſcilicet pondera; cum igitur in præſata Thom. ratione ſit aſcenſus, ſeu gradatio per res ejuſdem ordinis, ſcilicet per creaturas poſſibiles, que omnes in ratione poſſibilium ſunt ejuſdem ordinis, & rationis, argumentatio rectè deducitur.

Hæc tamen reſponſio, ſufficientem diſparitatem non aſſignat, aut diſparitatis rationem, cur argumentatio calculatoria teneat, quando ſit gradatio, & aſcenſus per res ejuſdem ordinis, non autem quando ſit per res diverſi ordinis, nam Adverſarij inſiſtunt, eandem vim habere hic, & ibi; ratio igitur, cur calculatio teneat in victione ponderis eſt, quia inter virtutem ponderis portativam, & ipſum pondus debet intercedere proportio arithmetica, atque ita perfectio virtutis portativæ debet creſcere ad equalitatem cum perfectione ponderis; non ita eſt de actu, & objecto, quomvis enim creſcat perfectio actus juſta perfectionem objecti, opus tamen nõ eſt, creſcere ad equalitatem, ſeu arithmeticè, ſed geometricè ſolu; hoc eſt non oportet creſcere ſic, ut debeat habere tantam perfectionem, quanta habet ipſum objectum, quia cognitio ſemper deſicit in eſſendo ad unitatem objecti; neque enim cognitio ſubſtantie tam perfecta eſt, ſicut ipſa ſubſtantia; ſed ſufficit, quòd ita creſcat, ut ſemper ſit verum dicere, perfectioris objecti cognitionem, ceteris paribus, ſemper eſſe debere perfectiorem, quã objecti imperfectioris, nunquam tamen perveniendo ad equalitatem perfectionis objecti; atque ideo comparando cognitionem ad objecti; ſive aſcenſus ſit per objecta diverſi ordinis, non nunquam inter objectum, & cognitionem equalitatis in perfectionem, ſeu arithmetica proportio inferri poterit; ſed tantum geometrica; bene igitur docet D. Th. 3. p. qu. 10. ar. 2. quòd quantitas perfectionis viſionis non ſolum ſumitur ſecundum numerum ſejuſibilem, ſed etiam ſecundum claritatem, & intentionem viſionis, unde ſi objecta illius viſionis eſſent infinita, aut finita in inſinitum, adhuc viſio poſſet eſſe finita, quia non eſt ſummè clara, ſiquidem illam eſt objecta poſſent clarior cognofci; cui doctrinæ concinit Scotus cit. 3. d. 14. qu. 2. ſ. ad illam per ſecunda, ubi reſpondens eidem argumento inquit, ad primum, cum dicitur, quòd virtus inſinita non plus poſſet, quam videre inſinita.

finita, licet sit verum extensivè non tamen est verum intensivè; potest enim perfectius videre illa, quam aliqua virtus finita, quia actus ejus esset intensior secundum perfectionem, & majorem virtutem potentia.

Sed replicat Smiling, cit. n. 189. omnino comparationem arithmeticam esse debere inter actum terminatum ad plura, & actum terminatum ad pauciora, quoniam in aliis materiis à continentia virtuali ad eminentialem ducimus argumentum probando, inferiora in superioribus contineri eminenter, quando superiora possunt prestare, quod possunt inferiora, seu eorum munus supplere, unde oportet, quod potens prestare munus inferiorum continet eminenter perfectiones illorum, adeoque visio terminata ad infinita continet eminenter perfectiones infinitarum visionum, respondentium singulis contentis in illo numero infinito; Addit ulterius, non solum infinitum simpliciter, sed etiam secundum quid, & in certo genere repugnare eni creato, quando tale infinitum secundum quid est infinitum categoricè id est, simul, & actu constans infinitis partibus aliquotis, seu aequalibus unum certè; talis autem modus infinitatis esset in illa visione aequalente infinitis visionibus, quia visio terminata ad tot objecta debet habere perfectionem, ut quinq; v. g. divifam in tot cognitionibus terminatis ad singula, & consequenter visio terminata ad duplè plura objecta debet habere perfectionem, ut decem, v. g. divifam in tot cognitionibus terminatis ad singula, tandem visio terminata ad infinita perfectionem infinitam; in qua calculatione ferretur ascenditur secundum gradus determinatè perfectionis; atque ita in visione infinitorum devenitur ad gradus infinitos determinatè perfectionis.

Hec replica nihil omnino juvat ad stabiliendam rationem Thomistarum ex infinitate deductam, nam ex illa sequitur, saltem non repugnare pluribus visionibus videri omnes creaturas in Deo, nam in eo casu nulla illarum habebit eam infinitatem, quam arguens deducit futuram in unicam. Dices, eodem modo argui posse, si non una, sed distinctis visionibus creaturæ conspiciantur, quia una visio dicit aliquam perfectionem in intellectu, dicit majorem, ex infinitate infinitam. Contra, quia talis infinitas non esset nisi extensiva, & hæc quidem non categoricè, sed sine categoricè, sed sine categoricè, ex dictis disp. 19. Physic. hoc est, non forent infinite simplicitè, & in supremo numero, sed finite in infinitum; atque ita tota illa collectio simul sumpta eo modo quo infinitum sine categoricè potest simul sumi, non haberet nisi perfectionem infinitam sine categoricè; ergo illa unica visio singulis illis correspondens, aut omnibus simul sumptis non debet habere perfectionem infinitam categoricè, sicut ex eo, quod aliqua quantitas excedat aliam sine categoricè infinitam, non sequitur, quod esse debeat infinita categoricè, alias quia palmus excedit semipalmum sine categoricè infinitum, foret categoricè infinitum. Tum quia sicut dicebamus respondendo ad rationem principalem, sicut tota collectio possibilium simul sumpta, quocumq; modo sit infinita, sive categoricè, sive sine categoricè, utriusque non est tanta, sed multo minoris perfectionis, quam sit solus Deus; ita illa visio terminata ad infinita possibilium continens eminenter perfectiones illarum infinitarum visionum, non esset tanta, sed multo minoris perfectionis, quam sit visio ad solum Deum terminata; si ergo hæc non est infinita, tanto minus illa; Alia autem instantia, per quam ostendit, in calculatione perfectionis illius visionis fieri processum per partes aliquotas, & gradus determinatè perfectionis, atque ita in visione infinitorum concludere gradus infinitos determinatè perfectionis, atque bene retorqueretur contra visionem creatam ad ipsum Deum terminatam; imò frequenter adduci solet ad probandum, visionem Dei creatam esse impossibilem, sic arguendo, visio objecti perfecti, ut unum habet perfectionem, ut unum, & ut duo, perfectionem, ut duo, atque ascendendo per omnia objecta per partes aliquotas, & gradus determinatè perfectionis crescit semper perfectio visionis; atque ita visio Dei esse debet infinita, aliter non excederet omnes alias visiones; Sicut ergo ad hoc argumentum omnes negant consequentiam, quia quamvis Deus sit objectum infinite perfectionis, cum non debeat visio objecti tantam habere perfectionem, quantum habet objectum, non rite infertur, visionem Dei esse debere infinitam, sed solum supremam inter omnes cognitiones, quia ut habet proportionem cum objecto infinito, hoc solum sufficit, quod sicut suam objectum aliqua objecta etiam sine categoricè infinita excedit, ita visio ipsius alias omnes visiones excedat; nec ulterius requiritur, quod tantum excedat illas, quantum objectum infinitum omnia alia objecta excedit, quia tunc habere deberet tantam perfectionem arithmetice, quantum habet objectum; Ita pariter in proposito responderi debet ad idem argumentum, ut proponitur à Smiling, ad ostendendam infinitatem categoricè illius visionis terminatæ ad omnia possibilium, negando consequen-

tiam; & ratio est, quia illæ infinitæ visiones, quibus illa unica visio aequaliter dicitur, non sunt infinitæ categoricè, hoc est, omnes, & singulæ determinatè, & assignabiles, sed sunt infinitæ indeterminatè, hoc est, non tot, quin plures, ut supra dictum est; quando autem arguitur infinitas perfectionis rei ex eo, quod excedat in perfectione infinita alia, quorum quodlibet habet perfectionem particularem, & specificam, ut bene notavit Poncius disp. 4. numer. 13. nullo modo sequitur infinitas illa, nisi illa omnia sint infinita determinatè, & categoricè, seu talia, ut possit ex illis saltem à Deo determinari, quodnam sit perfectius, aliis nulla esset species de facto saltem in genere substantiæ, quæ non esset infinitæ perfectionis, nam in quacumque specie dati possunt infinitæ imperfectiores infra illam, quarum quolibet diceret aliquam peculiarem perfectionem, & illa species, quæ sunt inferiores, excedit omnes.

Sed contra prædicta adhuc instari potest, quia Scotus ipse pluribus utitur hoc eodem Thomistarum argumento ad demonstrandam infinitatem alicujus virtutis, ita in i. d. 2. q. 2. sub. 5. ostendit igitur, ex hoc medio probat infinitatem divini intellectus, quia potens simul intelligere aliqua objecta est alicujus perfectionis, potens simul intelligere plura est majores perfectionis; ergo potens simul intelligere actum infinitum, scilicet intellectus divinum, est infinitæ perfectionis; ita etiam dicitur i. d. 3. q. 10. s. illa opinio, ubi ex hoc eodem medio arguit esse impossibilem unam speciem creatam, quæ possit esse ratio cognoscendi infinitas quidditates, sive non tot, quin plures, quia ubi pluralitas numerals requirit majorem perfectionem, ubi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, & virtutem; exemplum sit, posse portare simul plura pondera concludit majorem virtutem, posse simul portare infinita, sive non tot, quin plura concludit infinitatem intensivam; sed aliquid esse rationem distinctè cognoscendi plures quidditates concludit majorem perfectionem in ipso, quia esse rationem cognoscendi tantum unam; igitur si in Angelo aliquid potest esse ratio cognoscendi infinita, sive non tot, quin plura, illud erit infinitum. Ab his, & similibus argumentis facile se expediat Vulpes cit. dices, probare solum, creatum intellectum esse perfectionem suam propria non posse simul infinita attingere visibilia, ut attingit divinus intellectus, non autem quod attingere nequeat ex speciali revelatione divina; sic etiam respondet Aretinus cit. quod intellectus anime Christi, si infinitus, sed isti Auctores sic respondendo hinc non videntur percipisse tantum quæ sit enim est questio an Beatus à se, & virtute propria præsit infinita videre, ut videt intellectus divinus, quia clarè constat apud omnes, in hoc sensu intellectum creatum virtute propria, & independentem ab alio nec unum quidem objectum percipere posse; sed questio est supposita, quod ad visionem beatam activè concurrat cum objecto beatifico, an possit cum objecto beatifico, & dependente à voluntate divina concurrere ad unam visionem, quæ omnia possibilis attingat, vel plures simul visiones elicere singulis illis objectis correspondentibus; necque etiam Doctor i. d. 2. probat infinitatem divini intellectus ex hoc, quod possit virtute propria, & independentem ab alio intelligere simul infinita objecta, hoc enim sufficienter deducitur, etiam ex interlectione unius dumtaxat objecti, si demonstratur, talem interlectionem elici independentem ab omni alio in genere efficientis causæ; sed infinitatem divini intellectus deducere, intendit præcisè ex simultanea interlectione infinitorum objectorum, præsumendo ab hoc, quod illa intelligat dependenter, vel independentem ab alio; imò ex tali modo intelligendi alia à se deducere intendit infinitatem ejus, ac independentiam ab omni alio in genere efficientis causæ.

Itaque Scotus ipse 3. d. 14. q. 2. in fine modum infinitum solvendi prædictas instantias in solutione ad tertium pro 2. opin. dicens, quod infinitas extensiva ad aliqua, ut ad formas recipiendas non concludit infinitam entitatem receptivam, sicut de materia, si esset receptiva infinitarum formarum, imò magis concludit imperfectiorem; sed infinitas extensiva ad aliqua, ut ad effectus simul causabiles concludit infinitatem intensivam, eod quod talis pluralitas concludit majorem perfectionem in eo, quod ad plura se extendit, non ita de receptivo; si tamen intellectus ponitur elicivus infinitorum, dico, quod nec illa infinitas extensiva concludit infinitatem intensivam intellectus sed objecti, quia objectum est causa principalis activa respectu illarum visionum, & non intellectus; hæc Doctor, quo solutio fundatur in eo, quod dixerat superiori s. potest dici, scilicet probabile esse, creatum intellectum posse actualiter videre in essentia divina infinita numero visibilia visionibus, etià numero infinitis, id est, non tot, quin plures (in infinitum namque categoricè implicare, iam diximus disp. 10. Physic.) sibi simul formaliter inexistentes, ab ipso Deo immediate, seu

totaliter causatis; vel per unicam visionem etiam à Deo immediate causatis, & ad illa omnia terminatis per infinitos respectus unionis, & tendentis extrinsecè illi additos, quorum tamen per se eprimò fit essentia divina, & secundario aliorum; vel etiam ita, quod intellectus respectu illarum plurium visionum, aut illius unius omnibus illis infinitis aequalentis nedum habeat rationem passivi, & receptivi, sed etiam elicitivi; & sic juxta primam viam ait, in prima parte solutionis ex illa infinitate extensiva nullam sequi in intellectu infinitatem intensivam, quia infinitas extensiva ad aliqua, vel ad formas recipiendas non concludit infinitam entitatem receptivi; juxta vero alteram viam, quod intellectus respectu illarum visionum, aut illius unius omnibus illis aequalentis habeat rationem elicitivi, inquit in secunda parte solutionis, adhuc dicitur posse, quod nec illa infinitas extensiva concludit infinitatem intensivam intellectus, sed objecti beatifici secum concurrentis, quia objectum beatificum est causa principalis activa respectu illarum visionum, & non intellectus. Ratio autem hujus est, quam dedit Lichetus 2. d. 3. q. 10. explicans illam rationem Doctoris allatam, ubi pluralitas numerals requirit majorem perfectionem, & alud est enim, inquit, esse rationem formalem producendam aliqua plura, quorum quodlibet speciale perfectionem requirit in causa, scilicet esse ibi de illa specie intelligibili, infinitas quidditates distinctè representant, quam ob id aibi Doctor esse impossibilem; aliud est esse rationem formalem producendam aliqua plura, quorum quodlibet non requirit speciale perfectionem in causa partiali, sicut est in proposito nostro de intellectu, in quo non requiritur alia, & alia perfectio ad producendam interlectionem hujus objecti, & alterius etiam perfectionis, quia idem intellectus & per eandem virtutem sufficit partialiter concurrere ad cognitionem objecti imperfectioris, sicut ad cognitionem objecti perfectioris; quod si hoc afferatur de intellectu respectu objectorum creatorum, ad quorum cognitionem concurrunt, ut causa partialis principalis, tanto magis id afferendum erit respectu objecti beatifici, cum quo concurrat, ut causa partialis minus principalis; quod nempe si cum eo concurrat ad productionem illarum visionum sine termino, non hinc sequatur infinita virtus in ipso, quia per eandem virtutem partialiter concurrat ad omnes.

Dices, quod est per hanc doctrinam satisfactum argumento Doctoris ut proponitur 2. d. 3. q. 10. non tamen, ut proponitur 1. d. 2. quia ibi loquitur de causa, ut potente producere plures, & plures effectus, nedum successive, sed etiam simul, & ex tali simultanea causalitate intendit arguere infinitam virtutem in causa, etiam effectus producendi non exigerent aliam, & aliam virtutem in causa. Negat id Lichetus loc. cit. & inquit, ex tali simultanea causalitate plurium effectuum sine termino unum tantum argui infinitam perfectionem in causa, quando effectus producendi exiunt aliam, & aliam perfectionem in causa, & ita arguere Scotum ibi, quod si eadem semper sufficit ad illos producendos, sive successive producantur, sive simul, parum refert hæc simulitas ad arguendam infinitam virtutem in causa, unde inquit, quod si Franciscus simul produceret infinitos homines, non diceretur infinite perfectionis, cum alius, & alius homo non requirit aliam, & aliam perfectionem in causa; plurium autem interlectionum diversorum objectorum specie distinctorum, licet una sit essentialiter perfectior altera, quia tamen talis major, vel minor perfectio non est à majori, vel minori perfectione ipsius intellectus, sed objectorum, id est, quia non requirit ad sui productionem majorem perfectionem in intellectu, quam aliam; quæ Licheti responsio optima est, licet non satis consequenter loquatur ad eas, quæ dicit i. d. 2. q. 1. s. sed aliquid, ubi loquens de infinitis effectibus solo numero distinctis ait, quod si aliqua causa eque perfecte potest simul producere infinitos, sicut quælibet seorsum successive, tunc in ea per se ipsum Doctor argueretur infinita virtus, quod plane contradicit exemplo ab ipso allato de Francisco, producente infinitos homines; Sed quævis quid sit de hoc, quia etiam quandoque bonus dormitat Homerus, planè alla responsio satisfacta dicitur Doctoris 1. d. 2. q. 1. quo ex simultanea interlectione plurium, & plurium objectorum sine termino deducit infinitatem divini intellectus; quia objecta secundario non movent, sed tantum terminant divinam cognitionem, eamque totaliter causat divinus intellectus objecto primario, vices supplet easque substituit secundariis; ob virtutem eorum continentiam, unde quia supplet causalitatem minus perfecti, & magis perfecti objecti, licet intellectus divinus, quo est objecti perfectioris, perfectioris semper arguit virtutem intellectivam in intellectu divino; in proposito vero nostro oppositum omnino contingit, quia intellectus creatus concurrat, ut causa partialis vancum ad illas visiones, vel unam omnibus æquivalentem, ac etiam, ut minus principalis, atque ideo visio perfectioris

objecti non arguit in eo perfectionem virtutem productivam, sed in objecto beatifico, illius vices supplet, & ad visionem principaliter concurrente.

Dices, tandem quod licet præfate responiones salvent, ex visione omnium possibilium in Deo nullam sequi infinitatem perfectionis in intellectu beato, etiam si elicitive ad eam concurrat, adhuc tamen sequi in ipsa visione, si unica ponatur respectu omnium; quia licet in sententia nostra ipsa sit actio productiva alicujus vitalis effectus, tam est ipsa representatio objecti in genere cause formalis, unde si sit representatio plurium objectorum in infinitum, quorum unus sit perfectus alio, cum unaquaque representatio, respectu cujuslibet objecti aliquam dicat perfectionem in ea, si sit in infinitum representativa, planè erit infinite perfectionis representativa. Respondeo in ipsa visione, si unica ponatur respectu omnium, illam sequi infinitatem perfectionis assignat rationem Doctor lit. M. quia non necessario ex perfectione sua esset obiectorum secundario representativa, sicut est visio divina, sed per extrinsecam additionem tot respectuum attingentis; quæ sunt objecta secundaria visibilia, modo explicato n. 245. qui quidem respectus licet à Scotis dicantur rationis, hoc tamen intelligi debet, quatenus non habent omnes conditiones, quarum realium relationem realem predicamentalem requiritur, quæ una est, quod sit ad terminum realem actu existentem, debent igitur consensere reales, quatenus sunt ad terminos reales, saltem possibilis, hoc enim factum est, ut respectus dicitur posse realiter, sicut secundum quid, ut constat ex dictis disp. 8. Log. quest. 6. art. 1. n. 34. non esset autem illa unica visio ex perfectione sua omnium obiectorum secundario representativa, sicut divina visio, quia visio per se primo, & ex vi sua non est representativa, nisi illius objecti, à quo producitur, visio autem beata immo realiter producitur à divina essentia, & ideo ex vi sua non est representativa, nisi ipsam divinam essentiam, & que in ipsa reperitur ex natura rei realiter identificata, quia divina essentia immediate, & naturaliter movet tantum divinum intellectum, ideoque illum movet ad cognitionem omnium, quæ in ea continentur, tam formaliter, quam virtualiter; creatum vero intellectum liberè movet, & mediante voluntate, utque ideo ultra objectum primarium, & quæ in ipso ex natura rei continentur, non conspiciat secundum, nisi per novam revelationem extrinsecam in essentia à divina voluntate casualiter factam per præfatas respectus superadditos entitati absolute illius visionis. Sed instat Poncius disp. 39. numer. 3. quia est impossibile, quod ullus respectus, qui non esset visio, possit sufficere, ut quis videat, quod ante non vidit, si enim hoc fieri, posset dici, quod intellectus videt sine visione illa, quod si respectus superadditi essent visiones, jam non videret omnia per unam visionem, sed per plures. Verum hæc instantia exclusæ manet ex dictis numer. 245. ubi diximus, visionem non importare solum respectum tendentem in obiectum, sed etiam entitatem absolutam actus de genere qualitatis, in qua fundatur respectus; & utrumque requiritur, ut intellectus dicatur per tam cognoscere, & videre, neque difficultus est concipere, Beatum posse aliquid de novo videre per actum suum beatificum ex additione novi respectus tendentis, quam Deum per novam terminationem suæ cognitionis futura cognoscere, quæ in priori signo attingere non intelligebatur; etenim si simplex terminatio sufficit actui divini intellectus, vel voluntatis, ut dicatur cognoscere, & velle Deum, quod ante cognoscere, & velle non dicebatur ob eius illuminationem; quoniam actus creati intellectus limitatus est, & finitus, sufficit ei novus respectus tendentis, et realiter superadditus absque nova absoluta entitate actus. Dices, singuli illi respectus novam addeunt perfectionem, atque ita actus ille foret infinitæ perfectionis. Negatur assumptum, quia essentialis perfectio actus beatifici attenditur solum in ordine ad obiectum primarium, quæ sola perfectio sufficiens est, ut possit ille actus fundare omnes respectus supervenientes, quatenus sumitur ab essentia, in qua omnia secundaria objecta virtualiter continentur, atque ideo illa sola sufficiens est ad omnes illos respectus fundandos, nec singuli singulam requirunt perfectionem particularem; quod singuli perfectionem particularem importarent, adhuc negandum esset, securumque infinitam perfectionem in actu eadem ratione, quæ id negavimus, securumque in intellectu, si singula possibilis videret distinctis visionibus.

Ad idem argumentum principale sub n. 245. prout conficitur ex parte luminis, adhuc facilius est concurrere; nam primo potest eodem modo retorqueri, sicut cum sibi debeat visione, siquidem simili argumento probaretur, ad videndum Deum requiri lumen infinitum, cum lumen dari debeat potestè juxta perfectionem objecti visibilibus; tum quia quodcumque lumen gloriæ quantumvis remissum sufficiens est ad Deum videndum; quare igitur etiam ad visionem omnium possibilium

sufficient non erit, cum tota ista collectio sit solus Deus: Ita- que negatur maior cum ejus probatione; nam de potentia Dei absoluta lumen non est necessarium ad eliciendam visionem beatam, ut supra visum est, & visio potest excedere vim luminis, & exequare activitatem intellectus; & de facto lumen datur ad videndum Deum per se primo, & principaliter, non vero ad videndas creaturas, quas etiam sine lumine, quantum est ex se, possit in genere proprio cognoscere, sed ad summum facti, quod eas videat in Verbo; sicut ergo dicebamus intellectum per eandem virtutem posse videre plura, & perfectiora objecta secundaria, ita etiam dici potest, quod ea videre possit per idem lumen, dummodo fiat nova eorum revelatio in essentiam per divinam voluntatem, vel si requiritur proportionate minus lumen, adhuc tamen negandum est, hinc sequi, ad infinita sincathegorematicè videnda necessarium esse infinitum lumen eadem ratione, qua hoc ipsum de visione ipsa negavimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Alie Implicantie examinantur.

262 Tertia ratio implicantie deducitur ex necessitate majoris attentionis intellectus ad plura objecta; experimur enim, quod attentio circa plura objecta est minus perfecta & ideo videtur impossibile, potentiam finitam posse perfectè attentione videre infinita simul, quæ ratio adfertur à Scoto, ut omnium validissima loc. cit. s. *sed ista* pro priori sententia, cui proinde maxime fidem Smiling, & Poncius loc. cit. Et quoniam quidam respondent, id verum esse, dum objecta à potentia finita in se directè conspiciuntur, non vero, cum in essentia divina, que propter ejus unitatem, attentionem unit, & confortat. Contra replicat Smiling, nam. 198. quia etiam plura in uno objecto primo cognoscantur, modo cognoscantur, ut plura, id est distinctè secundum suas proprias, & formales rationes, id non minorem intellectus attentionem postulat, sed potius major enim, quàm si solum in seipsis per diversos actus cognoscerentur, quia preter quam quod equè perfectè cognoscantur, ac in seipsis cognoscerentur, illa cognitio ad plura terminatur, nempe ad illa secundaria objecta, & præterea ad objectum primum; debetque ad eò esse perfectior omnibus illis cognitionibus; in proprio genere etiam simul sumptis; quo autè cognitio aliquid ad plura terminatur, eò perfectiorem postulat attentionem; cum igitur Beati ita cognoscant creaturas in essentia, sit v. non minor, imò maior attentio requiritur ad eas cognoscendū in objecto beatifico, quàm si illa in proprio genere aut in seipsis cognoscerentur.

Respondet Doctor ipse s. *ad illa pro secunda opin.* posse dici, quod videre indistinctius respectu plurium, non necessario est ex parte intellectus, ut receptivus, sed solum, ut elicivus, possit enim recipere visiones equè distinctas plurium, sicut paucorum, & ita si ratio valeat, concluderet solum, quod intellectus non potest esse elicivus respectu infinitarum visionum; sed potest dici, quod nec hoc concludit, quia etsi de de facto intellectus noster indistinctius intelligat plura, quàm pauca, hoc tamen non necessario convenit sibi de ratione sua, qua intellectus est prior actu elicito, sed ex aliquo concomitante, quod non est necesse ponere in intellectu animæ Christi; ita Doctor, & vult dicere, diminutionem attentionis intellectus nostri circa plura objecta provenire modo ex phantasia imperfectione, cujus operatio non semper intellectivam concomitat, & ut sensitiva, ac materialis circa plura distrahatur, adeo quod equè perfectè pluribus simul sicut paucioribus attendere nequeat, que imperfectio pro statu isto etiam in intellectu redundat; unde etiam adagium hoc de sensu ipso pronuciatur, non de intellectu, dum inquit, *pluribus intentio minor sit ad singula sensus*; at hoc totum cessat de intellectu animæ Christi, ac aliorum Beatorum, qui independentes à sensibus objecta percipiunt; Deinde hoc idem argumentum retorqueri potest contra ipsam Dei visionem, sicut retorquebatur præcedens ita arguendo, ad intelligendum objectum tam perfectum requiritur tam perfecta attentio, & ad intelligendum objectum perfectius perfectior attentio; ergo ad intelligendum objectum infinitæ perfectionis, quale est Deus, attentio infinitè perfecta erit necessaria, hoc autem argumentum ab omnibus est solvendum, sicut præcedens, dicendo, illam comparationem non debere esse arithmeticā, quasi tot gradus attentionis habeat cognitio, quot perfectionis habeat objectū, sed sufficere proportionè actus ad objectū, modo jam explicata. Præterea sustineri potest responso inter arguendum data, & ad replicam verò Smiling, negandum est assumptum cum ejus probatione, quoniam cum intellectus creatus cognoscit creaturas in divina essentia, & non in seipsis immediate, quàmvis præter objecta secundaria tendat quoque in primum, hæc

tendentia non minuit, sed potius confortat; & auget ejus actionem, & attentionem; quia dum primo tendit in primum, quàm in secundarium, tunc objectum concurret magis principaliter, & intellectus minus principaliter, cujus oppositum evenit, cum objecta secundaria in seipsis immediate intelligit, ac in genere proprio; tunc quia tendendo primario, & immediate in essentiam, ex unitate terminationis primariæ, & representabilitatis unitatis, & confortatur attentio, ut patet, cum objecta in speculo, vel tabella collecta representantur, tunc enim minori attentione intuemur, & fatigatione potentiæ visivæ, quàm quando in seipsis immediate distincta, & distincta conspiciuntur; tunc tandem quia, sicut intellectus finitus nequit suapte natura intueri objectum infinitum, bene tamen divinitus elevatur; ita pariter licet non possit suapte natura tendere equè perfectè in plura, quàm in unum, hoc tamen facere poterit divinitus elevatus, ob rationem præcipue sæpius inculcatam, quod tota collectio creaturarum possibilium longè minoris sit perfectionis, quàm solus Deus.

Scotifili allegati Smiling, & Poncius responsum Doctoris allaquam alie dissimulant, solumque tentant ostendere, reformationem argumenti non valere, & cur ad cognoscendū obiectum infinitum non requiritur attentio infinita, requiritur tamen ad cognoscenda objecta infinita secundaria, etiam istorum omnium collectio sit perfectior valde inferiori; quæ enim Poncius, non ex perfectione infinita obiecti bene colligit infinitatem visionis, & attentionis, bene tamen ex infinito numero obiectorum, nam certè facilis est videre unum hominè distinctè, quàm mille lapides, quàmvis unus homo sit perfectior illis omnibus; si etiam inquit Smiling, quod attentionis gradus non correspondet gradibus perfectionis rei cognitæ, ut respondent obiectorum distinctioni, ac numero tunc quia gradus perfectiores in illo uno per modum unius conspiciuntur, non sic obiecta distincta; tunc quia experientia docet, quod obiecta magis perfecta sæpe cum minori attentione, & quod perfectior conspiciuntur, & est contra experimur ad cognoscenda plura objecta sive perfectiora, sive non, maiorem requiri attentionem, quàm ad cognoscenda pauciora, illudque argumentum omnino arithmetica proportione procedere, ita ut si ad attendendum tot obiecta requiritur attentio v. g. quinque ad attendendum duplo plura requiritur attentio, ut decem, & consequenter ad attendendum infinita, attentio pariter infinita. Sed quàmvis verum sit, quod ait Poncius, ex perfectione infinita obiecti non bene colligit infinitatem visionis, & attentionis, falsum tamen esse non bene colligi saltem maiorem perfectionem visionis, & attentionis, cæteris paribus, quàm esse debeat circa obiectum imperfectius, si utrumque sit cognoscendum iuxta proportionem sive cognoscibilitatis; nam res perfectior perfectius, & intensius movet intellectum, cum habeat plures cognoscibilitatis gradus, quàm res imperfectior, quæ cum minoribus habeat, non indiget intellectus adeo intensa motione, & attentione, sicut indiget ad intellectum rei perfectioris; tunc quia hoc directè probatur per illam Scoti maximam, *ubi pluralitas numerals requirit majorem perfectionem* &c. et enim per hanc probat, quo perfectius est obiectum, perfectior quoque postulare cognitionem, atque ita pluralitatem infinitam obiectorum infinitam cognitionem postulare; unde non præcisè ex numero infinito obiectorum deducit infinitatem intellectiois, sed ex eo quod unum sit perfectius alio in infinitum; Imò cum id intelligi solum debeat, quando quodlibet cognoscibilem speciem requirit perfectionem in potentia cognoscente, ut hanc, & illam intellectioem eliciat, ut supra explicatum est n. 258. clarè constat, ex solo infinito numero obiectorum non sufficienter colligi infinitatem cognitionis aut potentie cognoscens, si ad hæc cognoscenda eadem virtus sufficiat, unum non requirit maiorem virtutem, & perfectionem in potentia cognoscente, quàm aliud, ut cognoscatur, ut deducit n. 259. exemplum verò de oculo facilius vidente unum hominem, distinctius, est perfectiorem, quàm mille lapides non est ad rem, quia procedit de potentia visiva, quatenus materialis, & sensitiva utique facilius ob suam materialitatem distrahatur circa plura objecta, quàm circa unum; & homo perfectius est obiectum respectu intellectus, qui se utique ad substantiam insinuat, eiusque prædicata intrinsecè, nec in solo accidentibus extrinsecis apparatu sibi, ut potentia visiva. Et per eandem doctrinam fit satis insinuat Smiling, quod si interdum perfectiora objecta cum minori attentione conspiciuntur, quàm perfectiora, hoc est per accidens, & quia non cognoscuntur cum ea ad advertentiam, quoniam postulant gradus cognoscibilitatis eorum, servata tamen proportione, & cæteris paribus, percipi debent maiori attentione, quia plures gradus cognoscibilitatis habent, quàm res imperfectiores; pro quo vide, que diximus disp. 5. Met. quest. 9. art. 1. de difficultate intelligibilitatis rerum; ad illam verò calculationem iam dictam est n. 256.

264 Sed instabis adhuc, quod nequeat finitus intellectus ad infinita etiam in Verbo attendere, vel enim attentio est actus intensio, vel potentia conatus; at quod conatus dicatur, semper sequitur, non posse in visione creata esse attentionem ad infinita, quia nec intellectus beati potest in infinitum conari, nec creata visio esse finitè intensiois. Respondet, attentionem esse primò conatum potentie, ex quo postea elicatur visio perfectior, ac intensior; negatur verò sublimata minor cum ejus probatione, quia non dicitur, ad videndum infinita in essentia esse necessarium attentionem infinitam, neque ad hoc debere intellectum beati infinitè conari; quando quidem nec intensio actus ad id juvat, ut actus plura representent, cum possit actus remissior terminari ad plura, & intensus ad unum; & circa unum idemque obiectum possit dari actus modo magis, modo minus intensus; & cum major conatus potentie aliud non sit, quàm major potentie influxus, neque requiritur, hunc esse maiorem, aut saltem infinitum ad attentionem plurium sine termino, quando alia causa partialis tantè potentius influit in actum attentionis, quò remissior potentia, ita ut extrinsecè partialis influxus unus totalis coalescat actus attentionis plurium communis, ut patet, ut aiebat Doctor in simili s. d. 14. qu. 2. in fine, influxus obiecti beatifici in beatum visionem esse potest, ut intellectus finitus aequali conatu per visionem beatam attendat ad plura, sicut ad pauciora, cum hæc non perfectiorem virtutem præparetur in causa, ut intelligatur, sed semper eadem sufficiat, ut dictum est n. 295. Dices tandem, virtus finita distinctius videt duo, quàm tria, & tria, quàm quatuor, & sic ascendendo minus distinctè videt mille, quàm centum; ergo in infinitum plura in infinitum indistinctius videt, quàm pauciora, sed in infinitum indistinctius aliquo gradu finitè videt esse non videt, ergo &c. Respondet Doctor, loc. cit. illam distractionem circa plura modo convenit intellectui, non ratione sui, sed alieque concomitantis, id est, ratione phantasiae, sine qua modo operari non potest, cum enim hæc organo corpore utatur in operando, fatigatur in obiectorum perceptione, atque adeo non potest ita perfectè operari circa decem objecta, sicut circa duo, quæ imperfectio redundat quoque in intellectum profuturo; Vel dicatur, ut supra, quod licet intellectus attentionis sui, & sue limitationis non possit suapte natura equè perfectè ad plura attendere, sicut ad unum, & bene tamen id facere potest divinitus elevatus; & quemadmodum perfectio luminis glorie fulgere potest imperfectiorem intellectus finiti, ut æquè perfectè possit videre Verbum, & alia in ipso, perinde ac si solum ipsum videret; ita quoque facere potest, ut facta obiectorum secundariorum inter se comparatione æquè perfectè videat plura, ac pauciora, vel saltem hoc refundi debet in perfectionem primarii obiecti, quod ad eam visionem concurrere magis principaliter, quàm intellectus, ut inquit, Doct. cit. in fine questionis.

265 Quarta ratio implicantie deducitur ab aliis ex indeterminatione totius collectionis creaturarum possibilium, ex quo arguitur, omnis creatio cognitio habet certum, & determinatum perfectionis gradum; ergo non potest dari visio creata omnium possibilium; probatur consequentia, perfectio cognitionis creata, tam specificam, quàm individualis sumitur ab objecto, nam potentie specificantur per actus, & actus per objecta 2. de anima; ergo certa, ac determinata perfectio certum, & determinatum postulat obiectum, à quo sumatur; sed tota collectio rerum possibilium non dicit aliquod habens certum, nec determinatum perfectionis gradum; ergo, & probatur substituta minor, nulla enim est substantia, nullumque accidens possibile ita perfectum, quo non possit esse aliud perfectius; ergo obiectum illud coalescens ex tota rerum possibilium collectione vagum est, & confusum, ut in ordine cum communi ex dictis disp. 10. Phys. qu. 2. ergo in supradicto illud nulla potest visio creata habere certum gradum perfectionis.

Respondet, hæc rationem manifestam pati instantiam in actibus suppositionis confusa, dum enim dicat aliquis calamus esse necessarium ad scribendum actus in hanc propositionem tendens habet obiectum indeterminationem, & confusum, nam calamus, qui est subiectum in ea, non supponit pro aliquo calamo determinato, sed pro aliquo indeterminate; & vagè: ergo dati potest cognitio determinata, & individua tendens in obiectum indeterminationem, sicut pariter cum dico, creaturas omnes possibiliter entem secundum suas ultimas rationes specificas, ac individuas contineri in omnipotentia Dei, tendit hic actus in creaturas omnes entem sub ultimis differentiis eorum nõ quidditative cognitivè; ergo si creaturæ possibiliter sunt indeterminate, hoc non obstantè terminant actum determinatè perfectionis; Ad argumentum verò negatur consequentia, ad probationem dictam ex disp. 2. de anima qu. 4. actus non specificari intrinsecè, & essentialiter per objecta, quasi ab objectis indifferenter suam sumant unitatem, & distinctionem, sed tantum extrinsecè, & manifestativè, modo ibi explicato; & hoc etiam

intelligendum est de obiectis primariis, & formalibus, que efficienter concurrunt ad cognitionem, non autem de obiectis secundariis, & merè terminativis, ut se habent creaturæ possibiliter in ordine ad beatam visionem; aliud igitur poterit actus, & ab alio principio productivo sumere suam unitatem specificam, ac individuaem, quando eam ab obiecto sumere non possit; & ita dicendum esset in proposito, si collectio creaturarum possibilium nullam determinatam perfectionem haberet; Sed ad hoc negatur sublimitas minor, nam in eo tantum sensu hoc de illa collectione dicitur, non quia perfectio, que in ea, vel in illis omnibus, & singulari creaturis reperitur, determinata non sit, sed quia supra quamcumque assignatam, & assignabilem potest semper alia maiori designari, & nulla est assignabilis, quæ sit ultima, & omnium maxima; ergo tamen modo, quo potest tota multitudo sincathegorematica simul sumi, planè si tota creaturarum possibilium collectio simul sumatur, velè continet perfectionem determinatam; & hoc determinationis genus sufficit, ut terminare possit cognitionem unam specificam; & individuaem; hoc eodem modo dicimus, cognitionem individuaem cuiuscunque gradus communissimi etiam transcendens, v. g. ipsius entis ab eo gradu communissimo specificari, non quidem gradum illum considerando in esse rei, & entis, sed in esse obiecti, & scibilis, nam sub hac consideratione etiam ipse gradus communissimus entis dicitur contineri sub obiecto intellectus, nempe tanquam unum de numero intelligibilium, & in hoc sensu per modum obiecti suam individuaem cognitionem specificatè potest; sic ergo pariter in proposito est collectio tota creaturarum possibilium esse quid indeterminationem, & confusum in esse rei, tamen in esse obiecti, & scibilis, quatenus suam habet specialem intelligibilitatem, aliquam individuaem cognitionem terminare potest, alioquin infinitam sincathegorematicum, ut sic, à nullo intellectu creato possit intelligi; sic ratione talis infinitæ, quia, ut sic rationem habet indeterminate, & confusam.

266 Quinta ratio implicantia ab aliis deducitur ex eo, quod visio beata nequeat terminari ad seipsum, quod probatur, quia obiectum dicit ordinem ad cognitionem, & est prius illa; ergo non potest identificari cum ipsa. Tunc quia obiectum est causa sua representationis, sed nihil potest esse causa sui ipsius; ergo nihil potest seipsum representare; Tunc etiam quia cognitio est imago expressa obiecti, & nihil potest esse imago sui ipsius. Tunc tandem, quia visio transcendentaliter refertur ad suum obiectum, sed nulla entitas potest transcendentaliter refertur ad seipsum; ergo neque in seipsum fertur, tanquàm in obiectum.

Respondet, solutionem argumenti sentiri, tanquàm in obiecto, nam hæc tractare solent Recentiores, an visio beata sit tantum recta an potius sit, vel saltem esse possit reflexa; neque controversa est ex reflexione virtuali, nam in hoc sensu quilibet cognitio est reflexa, quatenus habet talem naturam, ut potentia eam quoque percipiat, dum ipsa mediante obiectum percipit, etiam dubio procul potentia vitalis sensibiliter suos experitur actus, nullum alium actum eliciendo, quo formaliter ipsos percipiat, quia sic daretur processus in infinitum, & planè nihil obstat, quin actus quilibet virtualiter seipso percipiat, nõ quidem, ut quod, & per modum obiecti percipit per ipsum actum, sed ut quo, hoc est, tanquam illud, quo cognoscit obiectum, neque etiam dubium est de reflexione formaliter per alium actum superadditum, id enim nemo negat; dubium igitur est, an beata visio sit de facto, vel saltem esse possit reflexa formaliter & expressè, ita ut ipsa seipsam percipiat per modum obiecti secundarii eodem modo; quo per ipsam percipiuntur in Verbo alia objecta secundaria; Affirmant quædam plures Suarez par. 1. lib. 2. de visione cap. 18. nu. 9. Vazquez par. 2. disp. 15. nu. 2. Luitan. lib. 4. quest. 9. artic. 6. nu. 2. Arriga disp. 6. de anima sec. 3. Quæd. controverf. 6. de anima punc. 1. nu. 38. & p. 2. tract. 1. controverf. 4. punc. 5. num. 71. & ex nostris Tatar. in Logica trac. de insolubilibus. s. *tertia propositio*, Gallus 3. d. 14. numer. 68. hoc probat Arriga loc. cit. & rursus disputat. 13. de visione sec. 5. nu. 29. nam de facto, quando dico, de conceptu omnipotentia est posse producere omnes creaturas, nulla excepta, iste actus habet se pro obiecto, nam ipse est una ex omnibus creaturis, idem contingit, quando dico, omnis intellectus est cognitio, item non potest comprehendere intellectus, nisi omnes actus eius cognoscantur, ibi enim ipsam actum, quo id dico, includo sine dubio. Nec valet dicere, in his, & similibus casibus illum actum se cognoscere confusè tantum, & virtualiter, non autem expressè, & formaliter; Quoniam, tam cognitio confusa, quàm explicita fit ab obiecto, ergo si valet responso, tam non poterit actus se confusè cognoscere, quàm explicitè, vel si non impedit argumentum propositum, quomodo idem actus seipsum confusè cognoscatur, neque obstat, quin cognoscatur etiam explicitè; Ex quo etiam argumentum illud facile solvitur negando, omnem cognitionem esse posteriorem suo obiecto, & ad illud transcendentaliter refertur.

